

est, ut concedatur; sed ita licita est, ut, si defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humana charitate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros; diligere concives vestros &c. Sed videtis, istam charitatem esse, posse, & impiorum; id est Paganorum, Judaeorum, Hereticorum.

Et S. Gregorius magnus Homil. 27. in Euangelia: Sunt nonnulli, qui diligunt proximis; sed per affectionem cognationis, & carnis; quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt. Dilectionem illam, quæ est per affectionem cognationis, & carnis, non dicent adversarii esse supernaturalem, sive ex gratia. Idem est de charitate humana, qua etiam ab impiis Paganis, Judæis Hereticis diliguntur conjuges, filii, amici, concives &c.

Talis charitas quantumvis hic licita prædicetur, non tamen ab adversariis admittitur, veluti procedens ex gratiâ, utpote quorum est famosa Propositionio quinta inter 31. ab Alexandro VIII. condemnatas: Paganis, Judæis, Hereticis, aliisque hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum; adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti. Quam Propositionionem Antonius Arnaldus Quæsnelli Doctor domesticus contra inflictum à Pontifice anathemâ audacissimè defendit. In *Difficultatibus propositionis Domino Steyaert*, parte 9. pag. 219. & sequentibus. Obtestor, inquit, omnes ratione utentes, ut considerent, quomodo fieri possit, ut aliquis Propositionionis illius quintæ censuram componeret cum hoc S. Augustini axiomate, quo ad defendendam Ecclesiam adversus Pelagianam hæresim utitur: GRATIA NON DATUR SECUNDUM MERITA.

Et pag. 222.: An igitur oportet nuntium remittere omnibus gratiâ adversus Pelagianos, & Semipelagianos defensoribus; quia hi conciliari nequeunt cum quodam Inquisitionis decreto tot aliunde vitis laborante?

Nos verò opus minimè censemus singulari rationis acumine, ut axioma istud concilietur cum censurâ Pontificiâ, quam Arnaldus solitâ fallendi arte mavult adscribere foliis Sacræ Inquisitionis ministris: quid enim connexionis veræ, vel apparentis habet damnata illic propositio cum relato Patrum axiomate? Omnes Catholici agnoscunt, Gratiam non secundum merita dari, & quidem nullis minùs secundum merita datur, quàm Paganis, Judæis, Hereticis, aliisque hujus generis, utpote quos conflet, omni prorsus supra naturæ ordinem merito destitutos esse, & demeritis plenos. Con-

cessio igitur sufficientis gratiæ in istiusmodi infidelibus minus periculi habet, nè credatur esse propter merita, quàm quæ est in fidelibus, ac justis.

Redeamus ad oppositam nobis ab adversariis charitatem. Non patiuntur, eam intelligi in lata aded significacione, ut humanam etiam, & viribus naturæ elicitam complectatur, qualem ipsi nullam à vitio absolvunt. Sed charitatem à se ex Augustino allegatam volunt accipi in sensu magis restricto pro actu virtutis supernaturalis, qui sine gratia esse non potest. Tunc sensus erit: *Quidquid bene amas*, sive prout oportet, *amas charitate*, seu amore supernaturali: *Sola charitas istiusmodi non peccat*. Haud refragabor, modò pariter admiseris Augustinum, ut diu Rhetoricam artem publicè professus est, atque indè figuras Rhetorices in promptu habuit; in posteriore sententiâ adhibuisse Synechdochen, quæ contentum pro continente accipitur, charitas pro eo, qui charitate præditus est, quam interpretationem ipse S. Doctor supeditat, cum tract. 9. in Epist. Joannis ait: *Dicitur proficere in te charitas, quia tu in ea proficis*.

In priore sententiâ bene amare significat amare sicut oportet ad justitiam, & salutem. Verum enim est ad talem amorem, ad talia opera requiri supernaturalis gratiæ auxiliium. Juxta posterioris sententiæ Synechdochen, solus charitatem habens non peccat; peccato scilicet gravi, à quo solo peccatoris in significacione obyia defumitur nominatio. Solus autem charitatem habens non peccat, itaut simul charitatem retineat. Atque hæc est charitatis præ cæteris omnibus virtutibus, etiam theologicis, excellentia, quòd nullum in eodem homine peccatum mortiferum patiat: hoc sensu vera est Augustini assertio: *Sola charitas non peccat*. Potest quis largiri eleemosynam pauperi, honorare parentes, administrare justitiam, credere in Deum, sperare etiam beatitudinem, & ex infirmitate labi in delictum, quo Divinâ excidat amicitia; at Deum amare super omnia, quod charitati proprium est, non potest, & simul amicitia ejus nuntium peccando remittere.

7 Ad similem locutionis Augustiniana interpretationem nulli magis obstrunguntur, quàm qui nobis ista objiciunt adversarii. Qui enim discipulorum S. Augustini nomine præ cæteris gloriantur, atque illud sibi velut antonomasticè proprium tribuunt, quomodo aliàs sanctissimum Doctorem ab erroribus, suorumque subversio-